

ubi diximus, quod quamvis Persona Verbi Divini esset principium per se induens valorem infinitum in actiones Christi Theandricas, & supra suppositum reflexivas, hunc tamen valorem in Christi operibus causare non poterat, nisi supposita aliqua conditione, nimirum unione nature humane ad divinum suppositum.

S. V.

Explicatur quarta conditio, & satisfactio Christi accommodatur.

118 Quarto contra nostram conclusionem obicitur: Ex bonis alias debitis nequit fieri satisfactio ex toto rigore iustitiae: Sed omnes Christi actiones & passionis erant Deo debita multis titulis, nempe titulo gratitudinis, religionis, obedientiae; quamvis enim Christus non se praestitisset vadem pro hominibus, nec per consequens fuisset astrictus ad exhibendum Deo condignam pro illorum offensis satisfactionem; nihilominus obligatus fuisset ad exhibendum Deo cultum & honorem debitum pro superna ejus excellentia, & pro beneficiis ab ipso ejus humanitati collatis: Ergo Christus suis actionibus & passionibus non potuit Deo satisfacere pro peccatis nostris de toto rigore iustitiae.

119 Respondet Suarez hic disp. 4. sect. 6. satisfactioem rigorem fieri debere ex his quae non sunt alias debita creditori, alio titulo iustitiae propriae & perfectae: non repugnare tamen rigori satisfactioem, quod fiat ex debitis aliis titulis iustitiae potentialis & imperfectae, quales est gratitudo, religio, vel obedientia: unde licet actiones Christi his titulis fuerint Deo debita, nihilominus fuerunt satisfactoriae pro peccatis nostris de toto rigore iustitiae.

120 Verum haec solutio est insufficientis: Tam quia titulus religionis majorem habet vim ad obligandum, quam titulus iustitiae propriae dictae, ceteris paribus; neque enim religio iustitiae potentialis & imperfecta est, quod verum & strictissimum non inducat obligationem, sed quod in nobis non possit Deo reddere aequale, perfecta aequalitate, pro beneficio creationis & conservationis: Tam etiam quia falsum est, quod possit quis una re satisfacere duobus titulis, quorum unus sit iustitiae propriae & perfectae, alter iustitiae imperfectae & potentialis; licet enim hoc verum sit, quando unus titulus advenit alteri concomitanter, & veluti in confirmationem prioris, non tamen quando quilibet se habet per se & seorsim; tunc enim quilibet novam & distinctam inducit obligationem; ut patet in eo qui votis se daturum centum nummos obicit, cui etiam alios centum nummos debet titulo mutui: ille enim nequaquam satisfecerit solvendo tantum centum, quamvis unus titulus esset iustitiae imperfectae & potentialis, nimirum titulus religionis, quo per votum obligatur ad illam summam persolvendam.

121 Respondent secundo alii Recentiores, satisfactioem Christi fuisse rigorosam, quia licet a Deo aliis titulis postulari posset, de facto tamen non fuit postulata, nec per consequens in actu secundo aliis titulis Deo debita, sed remote tantum, & in actu primo; quod si illis obicitur, de facto fuisse impossibile Christo praecipuum de subeunda morte, responderent tale praecipuum non fuisse Christo impossibile, nisi dependenter a voluntate humanitatis, ac proinde libere potuisse eximi ab obedientia illius.

122 Sed in primis haec solutio falsum supponit: Nam falsum est, praecipuum Christo impossibile de subeunda morte, a voluntate humanitatis ejus fuisse dependens; cum enim Christus, ut homo, vere fuerit Patri subiectus, non est cur asseramus tale praecipuum fuisse ipsi impossibile dependenter a voluntate humana. De quo infra disput. 21. Deinde, gratis hoc admisso, vere fuit debita mors titulo obedientiae, ratione praecipii ipsi; alias non adimplevisset praecipuum moriendo: Ergo vere mors qua pro nobis Christus satisfecit, erat actu Deo debita alio titulo, nimirum obedientiae.

123 Respondent tertio alii ex nostris Thomistis, cum Nazario, & Joanne a S. Thoma, quod actiones Christi Domini plures habuerunt infinitates; fuerant enim infinitae in genere moris, non solum in ratione meriti & satisfactioem, sed etiam in ratione cultus divini, gratiarum actionis, obedientiae &c. propter infinitatem suppositi divini a quo eliciebantur: unde est pluribus titulis debita fuerit, poterunt pro omnibus de rigore Dei satisfacere.

124 Haec solutio videtur valde probabilis; obstat tamen contra illam, quod licet Christi opera plures habeant infinitates, poterunt tamen exigi a Deo secundum omnes illas, titulo supremi domini, cum non sit major ratio cur sub una quam sub alia a Deo praedicto titulo exigi poterint: Ergo sub nulla poterunt mereri de rigore iustitiae remissionem offensae, si deberi ex alio titulo obicit rigore iustitiae. Unde

125 Melius responderetur, quod quando tituli, sive iustitiae sint, sive diversarum virtutum, non multiplicent materiam, potest unica operatione omnibus ex rigore satisfacere.

ri, ut constat in hoc exemplo: Debeo Petro centum nummos, titulo iustitiae, ratione contractus, titulo obedientiae qua praecipitur mihi a superiore ut eos solvam, & titulo misericordiae, quia ipse Petrus est in necessitate constitutus propter defectum hujus solutionis, & denique titulo religionis, quia voto me obligavi ad summam illam persolvendam, possum una solutione satisfacere pro omnibus istis titulis, solvendo tantum illa centum: quia diversi illi tituli, quibus teneor ad solvendam illam summam, non multiplicent materiam, sed debita, sed supra eandem materiam cadunt, quam faciunt pluribus modis debitam. Unde licet operationes Christi fuerint Deo debita, titulo religionis, gratitudinis, obedientiae &c. quia tamen isti tituli supra eandem actionem cadebant, potuit Christus illam operationibus Deo pro illis omnibus de rigore satisfacere.

Vel etiam dici potest, ad rigorem iustitiae in satisfactioe, sufficere quod sit ex aliis indebitis a satisfactioe ut quod; unde quia satisfaciens ut quod fuit suppositum verbi, quod debiti habendi est incapax, satisfactio illius fuit ex toto rigore iustitiae; esto fuerit ex aliis debitis ab humanitate, qua non ut quod, sed ut quod satisfecit, quod elicientiam operum quibus fit satisfactio.

Dices: Christus satisfecit non ut subsistens in natura divina, sed ut subsistens in natura humana: At Christus ut subsistens in natura humana, capax est obligationis: Ergo Christus ut principium quoad satisfactioem, est capax debiti, & consequenter illius opera fuerunt a satisfactioe ut quod aliis titulis debita.

Respondet Christum satisfecisse ut subsistens in natura divina & humana: nam si ly *ut* reduplicet rationem formalem influendi valorem infinitum in actiones Christi satisfactorias, satisfecit ut subsistens in natura divina; si vero particula *ut* denotet solum conditionem requiritam ad influendum talem valorem, satisfecit ut subsistens in natura humana. Ut autem satisfecit ut subsistens in toto rigore iustitiae, sufficit esse ex indebitis alio titulo a satisfactioe ut quod, reduplicato principio influente valorem, est ab illo debeatur, reduplicata conditione ad influendum valorem satisfactorium requisita.

S. VI.

Alio obiecto solvitur.

Obicitur ultimo contra nostram assertionem: Satisfactio rigorosa inducit obligationem iustitiae in creditore, vel in persona offensa, ad illam acceptandam: At Christi satisfactio non inducebat in Deo obligationem iustitiae, sed damnamus fidelitatis, aut veritatis ad acceptandam Christi satisfactioem; cum in Deo non detur iustitia commutativa, ut in Tractatu de voluntate Dei disput. 7. art. 1. offendimus: Ergo satisfactio Christi non fuit de rigore iustitiae.

Respondet primo, negando Majorem: licet enim frequenter resurget in eo cui fit satisfactio, obligatio ad illam acceptandam, quando fit in materia debita, nihilominus hoc non requiritur essentialiter & indispensabiliter ad salvandum alicuius rigorem satisfactorium, ut offendunt Thomista contra Valquez. Ratio fundamentalis sumitur ex differentia quae est inter iustitiam & alias virtutes; alie enim virtutes non habent medium rei, sed rationis, variabile juxta variationem subjecti, & aliarum circumstantiarum, iustitia vero habet medium rei, non rationis, subindeque omnino invariabile: unde variatis extremis, vel circumstantiis, non variatur. Quapropter quando aliquis facit actum iustitiae ad alterum, sive sciat, sive nesciat, sive acceptet, sive non, dummodo remanet medium rei, scilicet perfecta aequalitas inter satisfactioem & debitum, remanet actus iustitiae. Unde ad satisfactioem rigorosam non requiritur necessario quod ille cui exhibetur, obligetur ex iustitia ad illam acceptandam, sed sufficit quod non possit ex iustitia majorem exigere.

Respondet secundo, quod licet satisfactio rigorosa causaret inter homines debitum strictae iustitiae in eo cui exhibetur; hoc tamen non haberet locum in Deo. Ratio disparitatis est, quia licet relationes ex genere suo mutuae, quando transferuntur in Deum in ordine ad creaturas, non sunt relationes mutuae, saltem realiter, eo quod habeant extrema diversi ordinis; ut patet in maternitate S. Virginis, licet enim relatio matris & filii ex natura sua sit mutua, & se tenet ex parte utriusque extremi, in Christo tamen non est relatio realis filiationis in ordine ad S. Virginem; quia cum Verbum divinum sit ordinis superioris & increati, est incapax recipiendi in tempore novam aliquam relationem realem. Ita sumitur quomodo satisfactio condigna & rigorosa, cauteret inter homines obligationem illam acceptandi in eo cui exhibetur, non tamen in Deo, quia Deus est superioris ordinis, & habet dominium absolutum & universale super omnia.

ARTICULUS V.

A qua virtute satisfactio Christi processerit.

Explicatis conditionibus ad rigorem iustitiae in satisfactioe Christi requisitis, superest ad hujus disputationis complementum, ut principium a quo fuit elicitus talis satisfactio declaremus. In cujus difficultatis resolutione varie opinantur Auctores, quibusdam asserentibus cum Valquez & Vincentio Aliricenti, illum non fuisse elicitum ab unica tantum virtute, sed a pluribus simul concurrentibus ad satisfaciendum; aliis contententibus cum Suarez, & Lopez, eam a virtute Religionis processisse; aliis vero sententibus cum Medina, Alvarez, & Nazario, eam fuisse actum iustitiae commutativae, qua sententia probabilior est, & in Schola D. Thomae communior. Unde fit

S. I.

Rejicitur ab utraque primis sententia, tertia ut probabilior eligitur.

Dico primo, satisfactioem Christi non fuisse elicitam a pluribus virtutibus, sed ab aliqua speciali. Probatur breviter: Actus qui versatur circa obiectum honestum, quod a pluribus virtutibus non respicitur, non elicitur a pluribus virtutibus, sed ab aliqua speciali, quae circa tale obiectum versatur: Atqui satisfactio Christi versatur circa obiectum honestum, quod a pluribus virtutibus non respicitur: Ergo non a pluribus virtutibus, sed ab aliqua speciali fuit elicitus. Major est certa, nulla enim virtus potest elicere aliquem actum in quo non reliceat ratio formalis sui obiecti. Minor vero sic ostenditur: Obiectum satisfactioem Christi est compensare injuriam Deo illatam per peccatum, & inter Deum offensum, & homines peccatores, perfectam constituere aequalitatem: At hoc, ut per se constat, ad omnes virtutes non spectat, sed ad aliquam specialem: Ergo &c.

Confirmatur & magis illustratur haec ratio: Quotiescumque in aliquo actu reperitur speciale bonum, specialem habens difficultatem objectivam, debet poni specialis virtus, ad illum eliciendum; virtutes enim non ponuntur in anima, nisi ad vincendas difficultates quae reperiuntur in prosecutione honesti: Sed in satisfactioe Christi reperitur speciale bonum, specialem habens difficultatem objectivam, scilicet compensationem divinae injuriae ad aequalitatem: Ergo debet poni specialis virtus ad illam eliciendam.

Confirmatur amplius: In nobis satisfactio imperfecta, quam Deo exhibemus pro peccatis nostris, non procedit a pluribus virtutibus, sed ab aliqua speciali & determinata, scilicet a penitentia: Ergo etiam satisfactio perfecta & condigna, quam Christus Deo obtulit pro peccatis nostris, debuit ab aliqua virtute determinata procedere. Dico igitur satisfactioem Christi non fuisse elicitam a virtute religionis.

Probatur: Ad religionem pertinet exhibere debitum honorem Deo, in quantum est primum principium creationis & gubernationis rerum, & per hoc distinguitur ab aliis virtutibus, ut docet S. Thomas a. 2. q. 81. art. 3. At Christi satisfactio non ordinatur formaliter ad exhibendum reverentiam Deo, ut primo rerum principio, sed potius ut offensa per peccata hominum: Ergo non procedebat a virtute religionis.

Dico tertio, specialem illam virtutem a qua satisfactio Christi fuit elicta, pertinere ad iustitiam, non legalem, aut distributivam, sed commutativam. Prima pars hujus assertionis breviter suadetur. Ubi est verum & proprium jus ad satisfactioem exigendam, constituenda est aliqua virtus ad iustitiam pertinens, quae talem satisfactioem exhibeat; Sed in Deo erat verum & proprium jus, ut satisfactioem exigeret a Christo pro peccatis hominum: Ergo virtus quae Christum inclinabat ad talem satisfactioem Deo exhibendam, pertinebat ad iustitiam. Major est evidens, jus enim servandum vel reparandum ubi laesum fuerit est proprium obiectum iustitiae. Minor etiam est certa, quia cum Christus se praestitisset vadem & fidejussores pro hominibus, erat obligatus ad satisfaciendum Deo pro illis: quando enim debitor principalis est insolubilis, tunc fidejussor tenetur pro illo solvere, & potest cogi a creditore, ut videmus quotidie fieri in civilibus: Ergo in Deo erat verum & proprium jus ut satisfactioem exigeret a Christo pro peccatis hominum.

Probatur etiam secunda pars, quae asserit satisfactioem Christi ad iustitiam legalem aut distributivam non pertinere. Iustitia legalis, quae solum inter civitates & republicas versatur, non respicit illatam injuriam compensationem, sed potius boni communis promotionem: Atqui satisfactio Christi non per se primo ordinatur ad bonum totius generis humani, sed potius ad bonum divinum.

Theol. Gener. Tom. IV.

num, compensando injuriam Deo illatam: Ergo satisfactio Christi ad iustitiam legalem non pertinet.

Quod vero non pertinet ad distributivam, manifestum est, quia haec iustitia non habet constitutivam aequalitatem arithmeticam, seu rei ad rem, hoc enim proprium commutativae, sed geometricam tantum, distribuendo communia bona secundum conditionem & dignitatem unicuique: At Christi satisfactio non est hujusmodi, sed constituit aequalitatem rei ad rem, ut ex dictis art. 2. constat. Ergo ad iustitiam distributivam non pertinet. Adde quod iustitia distributiva per se primo respicit distributionem bonorum communium Reipublicae, quod non attenditur in satisfactioe Christi.

Ex his probata manet tertia pars conclusionis: cum enim triplex tantum detur species iustitiae proprie dictae, nimirum legalis, distributiva, & commutativa, si Christi satisfactio pertinet ad iustitiam proprie dictam, eaque non sit legalis, vel distributiva, superest tantum quod sit commutativa. Unde in Scriptura Christi satisfactio vocatur nomine emptionis, redemptionis, solutionis pretii &c. ut patet i. ad Cor. 6. & 7. i. Petri 1. Psalm. 129. qui omnes sunt actus iustitiae commutativae: immo Psalm. 88. secundum expositionem Augustini, vocatur nomine commutationis, dum dicitur: *Exprobaverunt commutationem Christi sui*: commutatio autem est actus iustitiae commutativae.

Confirmatur: Ad iustitiam commutativam duo requiruntur & sufficiunt, scilicet stricta obligatio ad solvendum debitum, & perfecta aequalitas in compensatione illius; unde religio, penitentia, gratitudo, & similes virtutes quae sunt ad alterum deficient a ratione strictae iustitiae, & constituunt partes potentiales illius; quia vel a ratione perfecta aequalitatis, vel a ratione stricti debiti & obligationis recedunt, ut docet S. Thomas a. 2. q. 80. Sed in Christi satisfactioe haec duo conditiones reperiuntur, fuit enim condigna & aequalis offensae, immo & superexcedens, ut supra ostendimus, & aliunde, cum pro hominibus se yadem & fidejussores Christus praestitisset, tenebatur ex iustitia ad solvendum debitum: Ergo satisfactio Christi fuit actus iustitiae commutativae.

S. II.

Principia objectiones solvuntur.

Obicitur primo: Inter patrem & filium, dominum & servum, non datur iustitia commutativa, ut saepe docent Aristoteles & D. Thomas: Sed Christus est Filius Dei, & in quantum homo servus illius, ut infra ostendimus, cum agens de servitute Christi: Ergo inter Christum & Deum non potest esse iustitia commutativa; subindeque nec satisfactio Christi ab illa procedere.

Confirmatur: Iustitia commutativa non est nisi inter aequales; nam sicut iustitia legalis est partis ad totum, & distributiva totius ad partes; ita commutativa est partis ad partem, id est aequalis ad aequalem: Sed Christus, in quantum Deo satisfaciebat, non erat ipsi aequalis, quia satisfaciebat in quantum homo, ideoque ut minor Deo: Ergo satisfactio illius non procedebat a iustitia commutativa.

Ad objectionem respondeo, quod licet apud homines inter patrem & filium, & dominum & servum, non possit reperiri iustitia commutativa (praesertim si sit sermo de filio nondum emancipato, sed sub tutela parentum constituto) bene tamen inter Christum & Deum. Ratio disparitatis est, quia apud homines filius, ut talis, nunquam potest esse aequalis patri in jure proprietatis: cum nihil habeat filius ut talis, quod a patre per voluntarium & gratuitam communicationem non acciperit; & similiter servus nihil habeat, quod non pertinet ad dominum, cum legali vinculo subiacitur.

Adde etiam quod filius non potest reddere aliquid aequivalens aut adequans esse naturale, quod a patre gratuita communicatione accipit, propter quod Aristoteles ait, quod diis, parentibus, & magistris, aequale reddere non valeamus. Haec autem in Christo locum non habent, quia cum sit Deus & homo simul ratione suppositi divini habeat aequale jus & dominium in propriis operationibus, ac ipse Deus: unde est ipsi aequalis in jure proprietatis, & licet sit Filius Dei, non tamen accipit esse gratuito & libere, sicut filius in humanis recipit a patre, sed necessario & per modum naturae; nec est inferior Patri, sed aequalis perfectionis & dignitatis cum ipso, juxta illud Apostoli ad Philip. a. *Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo*, unde inter Christum & Deum, facilius quam inter patrem & filium in humanis, reperiri potest iustitia commutativa.

Ad confirmationem, concessa Majori, distinguo Minorem: Christus in quantum Deo satisfecit, non erat ipsi aequalis, si ly *in quantum* reduplicet supra principium quod satisfactioem, concedo Minorem. Si reduplicet supra principium quod, nego Minorem. Similiter ad probationem Minoris, eadem distinctio adhiberi debet. Adde etiam ad iustitiam commutativam non requiri omnimodam aequalitatem.

ratem inter personam satisfaciendam, & illam cui fit satisfactio, sed sufficere aequalitatem in jure proprietatis, ut supra dicebamus. Licet autem Christus, in quantum homo, non sit aequalis Deo in jure proprietatis, bene tamen in quantum suppositum divinum; sub hac enim ratione habet aequale jus in suas operationes, ac ipse Deus.

145 Obijcies secundo: Christus non erat obligatus ex justitia ad satisfaciendum Deo pro offensis hominum: Ergo satisfactio Christi non fuit actus justitiae commutativae. Consequenter videtur manifesta: si enim aliquis non tenetur alteri satisfacere, hujusmodi satisfactio non erit actus justitiae, sed benevolentiae & caritatis: Ergo idem dicendum erit de satisfactioe Christi, si ad illam non sit obligatus ex justitia. Antecedens vero probatur: Ex nullo alio capite Christus tenebatur pro peccatis hominum mori & satisfacere, nisi quia praecipit moriendi acceperat, juxta illud Joann. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic feci*: Atqui tale mandatum non obligat illum ex justitia, sed ex obedientia, & caritate: Ergo Christus non erat obligatus ex justitia ad satisfaciendum Deo pro peccatis hominum, ac proinde ex sola caritate & misericordia pro peccatis humani generi satisfecit, & ut dicitur Isaie 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*.

146 Respondeo negando Antecedens, licet enim Christus absolute non esset obligatus ex justitia ad satisfaciendum Deo pro peccatis generis humani, nihilominus quatenus erat caput hominum, & quantum se praesertat vadem & fidejussorem pro illis, tenebatur ex justitia satisfacere; & quia ut supra diximus, quando debitor principalis est insolubilis, ille qui se praesertit vadem pro illo, obligatur ex justitia ad satisfaciendum & solvendum: nihilominus quia Christus ex infinita caritate & misericordia talem obligationem & debitum in se suscepit, Propheta dicit, *Oblatus est, quia ipse voluit*.

147 Instabis, Fidejussor non majorem in se suscepit obligationem, quam habet debitor principalis: Sed homo, qui erat debitor principalis, non tenebatur ex justitia satisfacere: Ergo nec Christus. Major est certa, Minor probatur: Obligatio satisfaciendi ex justitia, ortum non habet nisi ex justitia violata: ubi enim justitia violata non est, ipsa justitia non exigit nec praecipit compensationem: Sed homines peccando non violant semper justitiam specialem & proprie dictam; alias enim in quolibet peccato duae deformitates reperirentur, v. gr. in actu intemperantiae, deformitas intemperantiae, & propterea deformitas justitiae specialis, quae diversae deformitates constituerent talem actum inter diversam speciem peccati, & sic tenerentur homines se accusare in confessione de duplici illa deformitate & malitia: Ergo &c.

148 Respondeo distinguendo Minorem: Homo non tenebatur ex justitia satisfacere, per se, nego Minorem. Per accidens, & ob impotentiam exhibendi satisfactionem condignam & aequalem, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

Explicatur solutio: Ad justitiam commutativam pertinet reddere aequale, non solum pro rebus exterioribus injuste acceptis, sed etiam pro injuriis illatis. Dupliciter autem potest contingere quod aliquis non obligetur ex justitia commutativa ad exhibendum alteri condignam satisfactionem: Primo per se & ob defectum obligationis; quo pacto superior & dominus non tenetur exhibere satisfactionem inferioribus & subditis. Secundo potest aliquis eximi ab obligatione satisfaciendi ad aequalitatem, & per accidens, ratione scilicet impotentiae faciendi perfectam aequalitatem; nemo enim tenetur ad impossibile. Unde cum nullus homo possit Deo satisfacere ad aequalitatem pro beneficiis acceptis, vel pro injuriis illatis, per accidens non tenetur ex justitia commutativa Deo satisfacere ad aequalitatem, sive pro peccatis commissis, sive pro beneficiis acceptis. Verumtamen quia aliunde tenetur homo facere saltem quod potest, ponitur in eo virtus religionis, & virtus poenitentiae, per quas Deo aliquo modo satisfacitur, saltem imperfecte, pro beneficiis acceptis, & pro injuriis illatis. In Christo vero hoc non habet locum, quia poterat exhibere Deo aequalem & condignam satisfactionem pro peccatis hominum, quorum vadem ac fidejussorem se praesertat: unde ex rigorosa justitia obligatus erat ad exhibendum Deo talem satisfactionem.

149 Ad id vero quod subjungitur, nimirum quod obligatio satisfaciendi ex justitia, ortum non habet nisi ex justitia violata &c. negandum est quod homines peccando non violant justitiam proprie dictam: in quolibet enim peccato, v. gr. intemperantiae, involvitur duplex deformitas; una contra virtutem temperantiae, ratione conversionis ad objectum contrarium rationi, & honestati virtutis temperantiae; & haec deformitas constituit rationem specificam talis actus peccaminosi: altero vero injustitiae, quae est generalis, & communis omnibus peccatis, quia per quodlibet peccatum mortale aueritur a Deo ratio ultimi finis, secundum affectum, & ponitur in creatura, cui Deus postponitur, quod est actus maxime injustitiae. Nec propterea quodlibet peccatum, ratione illius duplicis deformitatis, conti-

nuitur in duplici specie; quia ut diximus in Tractatu de peccatis, illa deformitates, quae sunt conditiones generales omnium peccatorum, non constitunt actum peccaminosum in diversa specie peccati, nisi quando per se & veluti directe intenduntur a peccante. Sicut conditio generalis inobedientiae, quae involvitur in transgressione cujuslibet praecipiti, non constituit speciale peccatum inobedientiae, nisi quando per se intenditur, & quando ex contemptu praecipitum, vel praecipiti, homo illud transgreditur: ideoque poenitentes non tenentur se accusare, in confessione de illa deformitate injustitiae, vel inobedientiae, in quolibet peccato involuta & contenta.

150 Obijcies tertio: In anima Christi non reperitur justitia commutativa: Ergo satisfactio Christi non potest esse actus talis virtutis. Consequenter patet, Antecedens probatur. Unio humanitatis ad Verbum non reddit animam Christi, ejusque potentias capaces alicujus virtutis in se, cujus alii homines non sint capaces: Sed alii homines non sunt capaces justitiae commutativae in ordine ad Deum, ut committere docent nostri Thomistae; afferentes non dari justitiam commutativam hominis ad Deum: Ergo nec anima Christi. Major probatur: Per talem unionem non est aucta potentia obediuntialis animae Christi ad gratiam, ratione cujus recipiatur virtutes a gratia habituali emanantes: Ergo per illam anima Christi non fuit reddita capax alicujus virtutis, cujus ceteri homines capaces non sint. Adde etiam subiectum immediatum virtutum in Christo, non esse suppositum divinum, sed potentias animae rationalis, quae in Christo & in aliis hominibus sunt ejusdem speciei.

Confirmatur: Gratia Christi in esse physico considerata, & quatenus ex ea procedunt virtutes in se, est profus ejusdem speciei cum gratia creaturae hominum: Ergo non potest in Christo esse radix alicujus virtutis, quam non possit producere in aliis hominibus; subindeque si in nobis non possit esse justitia commutativa in ordine ad Deum, nec in Christo reperiri poterit.

Ad objectionem respondeo, negando Antecedens: ad cuius probationem, nego Majorem. Ad probationem illius, concessio Antecedente, nego Consequentiam. Licet enim non fuerit aucta potentia obediuntialis animae Christi, fuit tamen apposta quaedam conditio, ratione cujus anima Christi fuit capax justitiae commutativae, scilicet aequalitatis perfecta in compensatione injuriae Deo illatae, delectu cujus purus homo est incapax talis virtutis.

Ad id vero quod subjungitur, dicendum est, quod licet potentia animae Christi sint subiectum quo & immediatum virtutum, subiectum tamen quo & principale, est ipsum suppositum: unde cum suppositum Christi esset infinita dignitatis, & posset influere infinitum valorem in ejus operationes meritorias & satisfactorias, in eo potuit esse virtus justitiae commutativae, quae in aliis hominibus reperiri nequit, cum nullum suppositum creatum, in actu a se elicitis valorem infinitum inducere possit, nec per consequens pro offensis propriis vel alienis, ad aequalitatem Deo satisfacere, quod tamen requiritur ad justitiam commutativam, ut ex supra dictis patet.

Ad confirmationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam: licet enim gratia, in esse physico considerata, sit ejusdem speciei in Christo & in aliis hominibus: potest tamen in Christo esse radix alicujus virtutis, quam non potest producere in aliis hominibus. Ratio est, quia gratia, cum sit forma quaedam accidentaliter, perficit subiectum in quo recipitur, juxta modum & capacitatem illius, unde pro diversitate subiectorum, diversas producit virtutes: Nam in Angelis non producit virtutes moderatissimas passionum, sicut in hominibus; quia Angeli, cum creantur passionibus, non sunt capaces illarum virtutum. In nobis producit poenitentiam, non vero in Christo, quia cum esset ab intrinseco impeccabilis, erat incapax talis virtutis. In viatoribus causat fidem & spem, in comprehensivis lumen gloriae, & visionem beatam. In conjugibus castitatem conjugalem, in perpetuo continentibus virginitatem. Denique sicut aqua (inquit Chryostomus) cum variis sit speciebus, vario modo operatur, dealbans in lino, rubrificans in rosa, purpurissima in viola. Ita gratia, licet una & simplex qualitas sit, varios tamen juxta diversam subiectum in quibus recipitur dispositionem, seu capacitatem, operatur effectus; & in Christo producit justitiam commutativam, non vero in aliis hominibus. Nec mirum, sicut enim Christo non conferbat alicuius effectum secundarium, quem causat in aliis hominibus, nimirum filiationem adoptivam, quia Christus, cum esset Filius Dei naturalis, erat incapax adoptionis: ita & eadem gratia potest in illo esse radix alicujus virtutis, quam non potest producere in aliis hominibus, ob illorum incapacitatem. Ex his

Inferes primo; quod si humanitas Christi relinqueretur a Verbo, amitteret justitiam commutativam ad Deum, sicut tunc eo ipso talis homo fieret Filius Dei adoptivus, qui in tali casu humanitas Christi esset quidem incapax justitiae commutativae ad Deum, eo quod non posset esse principium satisfactionis infinitae, sed fieret capax filia-

filiationis adoptivae, quia ille homo Filius Dei naturalis esse desineret.

155 Inferes secundo, justitiam commutativam Christi & nostram esse diversae rationis & speciei, quia habent actus & objecta diversae rationis: actus enim nostrae justitiae commutativae, ex Aristotele 3. Ethic. cap. 2. est actio humana constituens perfectam qualitatem inter hominem & hominem: actus vero justitiae commutativae Christi est actio Theandrica constituens perfectam aequalitatem inter Deum offensum, & humanum genus offendens; unde haec justitia pertinet ad ordinem hypostatium, & soli personae divinae in natura assumpta competere potest; nostra vero spectat ad ordinem naturae, vel gratiae. Item objectum justitiae Christi est jus divinum, nostrae humanum, quae jura sunt diversissimae rationis. Denique justitia nostra commutativa, habet tantum rationem justitiae: justitia vero commutativa Christi ita in se habet rationem formalem justitiae, ut etiam eminenter contineat rationem misericordiae, magnificentiae, & religionis. Ita enim reddit aequale Deo pro offensis, in quo consistit ratio justitiae, quod etiam reddat superabundans, in quo consistit virtus magnificentiae, & haec ratio non potest ab alia separari, quia implicat Deo reddi aequale pro offensis, nisi etiam reddatur superabundans, sola enim satisfactio postquam divini potest esse aequalis offensae, & haec necessario est superabundans & excedens. Similiter justitia commutativa Christi continet eminenter rationem misericordiae, quia non potest suppositum divinum, cum sit impeccabile, reddere Deo aequale pro offensis propriis, sed tantum pro alienis. Continet etiam eminenter virtutem religionis, quia suppositum divinum non potest reddere Deo aequale pro offensis, nisi exhibendo actum valoris simpliciter infiniti, atque adeo nisi etiam reddatur aequale Deo pro ipsius excellentia & beneficiis ab eo collatis. Ergo justitia commutativa Christi, ita in se habet formaliter rationem justitiae, quod eminenter contineat virtutem magnificentiae, misericordiae, & religionis. Et per hoc maxime commendatur excellentia talis justitiae, utpote quae maxime accedat ad perfectionem eminentialem divinum attributorum.

DISPUTATIO V.

De motivo Incarnationis.

Ad Articulum 3. & 4. D. Thomae.

Explicata Incarnationis possibilitate, convenientia, & necessitate, consequens est ut causam illius motum investigemus, & finem propter quem a Deo facta est declaramus, de quo agit S. Doctor art. 3. & 4. hujus questionis.

ARTICULUS PRIMUS.

An Deus, ex vi decreti quod habuit, carnem sumpsisset, Adamo non peccante.

1 Certum est, Deum potuisse carnem assumere etiam si Adam non peccasset, cum Incarnatio cum peccato essentialiter nexum non habeat: unde solum difficultas est de eo quod fuisset de facto, si Adam non peccasset. Dixi vero ex vi decreti quod Deus habuit, nam utrum si homo non peccasset, habuisset Deus aliud decretum assumendi carnem, non propter remedium peccati, sed propter alia motiva, res est omnino incerta & dubia, cum hoc non possit colligi ex Scriptura, per quam solum nobis innoscitur quae ex sola Dei voluntate dependet. Unde D. Thomas 1. Timoth. 1. lect. 4. *Deus ordinavit seorsum, secundum quod res seorsum erant, & nescimus quid ordinasset, si non praeservisset peccatum*. Solum ergo difficultas est, an ex vi praesentis decreti, Verbum carnis assumisset, Adamo non peccante, quod idem est ac inquirere, an deum in Deo decretum aliquod efficax mitteret Verbum in carne, non connexum cum peccato, vel omne decretum efficax quod de Incarnatione datur in Deo, sit cum peccato connexum? Si enim hoc secundum dicitur non venire Christus ex vi praesentis decreti, Adamo non peccante, si vero afferatur primum, veniret peccato Adamo non existente. Hoc praemisso in hujus difficultatis celebri resolutione duae versantur oppositae sententiae: Altera est negativa, quam amplectuntur Thomistae cum Angelico Praeceptore hic art. 3. & ex Patribus Societatis Vasquez, Valente, Lessius, Delugo, Theophilus Raynaudus, Amicus, Petavius, & alii: Altera affirmativa, quam tenent Scotus & ejus discipuli, qui docent Incarnationem fuisse a Deo efficaciter volitam duplici decreto, altero terminato ad substantiam Incarnationis, altero terminato ad circumstantiam passibilitatis; primumque dependens fuisse a futuritione peccati

Theol. Gener. Temp. IV.

& previsionem illius; secundum vero fuisse a peccato dependens, ac proinde venturum Christum ex vi primi decreti, Adamo non peccante, non quidem in carne passibili, sed in impassibili, Suarez vero, Vambertus, Martinus, alique ex Recentioribus, licet cum Scoto conveniant in hoc decreto statuendo, ab illo tamen dissentiant, in eo quod Scotus asserit remedium peccati non fuisse motivum substantiae Incarnationis ex vi primi decreti, sed solum circumstantiae passibilitatis: Suarez autem est substantiam Incarnationis ex vi primi decreti volitam esse docet ob excellentiam mysterii, tamquam motivum sufficiens; asserit tamen ex vi secundi decreti volitam fuisse non solum circumstantiam, sed etiam substantiam Incarnationis, ob remedium peccati, tamquam motivum sufficiens, ut sic salvet Verbum Incarnatum fuisse propter nostram salutem; nec inconveniens reputat eundem effectum a duplici causa adequata finali procedere.

§. I.

Conclusio negativa statuitur, & ratioe D. Thomae fundatur.

Deo igitur ex vi praesentis decreti, Verbum Divinum carnem humanam non assumpsisset, si homo non peccasset.

Probatur conclusio ratione D. Thomae hic art. 3. ad hanc formam redacta: Decretum Incarnationis, cum sit supra naturae debitum, non nisi per revelationem nobis innotescere potest: At quotiescunque Scriptura Sacra, Concilia, vel SS. Patres quibus Deus suam voluntatem revelavit, de hujusmodi decreto faciunt mentionem, illam ejus causam motivam non assignant, quam liberationem a peccato, seu redemptionem hominis a servitute peccati: Ergo ex vi decreti quod Deus habuit de facto, Verbum carnis non assumpsisset, Adamo non peccante. Major est certissima, unde tota difficultas devolvitur ad Minorem, quae quoad singulas partes probatur.

In primis ergo plura extant Scripturae testimonia, quibus aperte significatur, Deum non venisse in mundum per Incarnationem, nisi ut peccatores salvos faceret: Math. 18. & Luca 19. *Veni filius hominis quare & saluum facere quos perierat*. 1. ad Timoth. 1. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hanc mundum peccatores salvos facere*. Luca 5. *Non venit qui sani sunt melior, sed qui male habent; non venit vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam: quod est idem ac si diceret, non venissem nisi egroti opus habuissent medico, seu totum humanum genus egrotis redderem poenitente*. Denique Joann. 3. Christus dicebat: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam*. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Eadem etiam & non alia assignatur ratio a Conciliis, & praecipue a Nicano in Symbolo fidei, ubi dicitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, & homo factus est*.

Accedunt testimonia SS. Patrum: Irenaeus enim lib. 5. 5. adversus haereses cap. 4. sic ait, *Si non haberet carnem salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset*. Athanasius orat. 3. contra Arianos: *Quod autem Filius Dei homo factus est, nunquam accidisset, nisi hominum necessitas causam praebuisset*. Nazianzenus orat. 36. *Quoniam humana propter nos suscepta natura causa exitus? Dixerit ut nos omnes salutem adipsereamus, Quid enim aliud affertur propter? Cyrillus Alexandrinus dialog. 5. de Trinit. circa medium: *Si non peccavissimus, neque saluus essemus, nisi filius Dei*. Ambrosius lib. de Incarnationis Dominice sacramento cap. 6. *Qua erat causa incarnationis, nisi ut caro quae peccaverat redimeretur? Augustinus serm. 8. de verbis Domini, si homo non peccasset, filius hominis non venisset*. Et serm. sequenti: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, nulla est medicina causa*. Item in oratione ad B. Virginem, sic eam alloquitur: *Ut quid visum peccati pro peccatoribus pareres, si desset qui peccasset, aut quid mater flores Salvatoris, si nulla esset indignitas salutis? Leo Papa Serm. 3. de Pentecoste. *Si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus in sua honore permanisset, nec diaboli fraude acceptus, a lege sibi postea per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non foret; neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut aequalis Deo Patri Filius, formam servi & similitudinem carnis peccati assumeret*. Petrus Cellensis Abbas in lib. de panibus: *Non inclinaret caelos parvus virginis, si potum prohiberem non contingeret. Eva, caelis temerarius*. Denique Abbas Rupertus de operibus Spiritus Sancti cap. 6. Christus alloquens: *Et quis dicit (inquit) nullum tibi debemus nos Deum Christe, quia homo factus es: At tu contra nullum ubi debet homo Christe, qui propter nos in Deum assumptus es: nam nisi fuisset peccatorum causa cur tu assumi in Deum deberet, nulla fuisset***

T. 2.